

nis, devolvitur ad R. Pontificem: idem est, quando Episcopus est exemptus, C. 3. b. t. Si electio tantum ad Episcopum, non exemptum, & quidem jure proprio, & ordinario pertinet, si negligens sit, ad Capitulum ob rationem communicationis, quod inter Capitulum, & Episcopum est, devolvitur, C. 2. de Consec. Prab. si tamen electio ad Episcopum aliquo jure speciali, vel ex delegatione pertineat, devolutio fit ad Archiepiscopum. Nam Capitulum non habet communicationem cum Episcopo in his, quae jure speciali conveniunt. Si electio ad Capitulum Cathedralis spectet, etiam Episcopus, ut Canonice tali electioni possit interesse, negligente Capitulo ad Episcopum devolvitur electio. Si vero ad Capitulum, & Episcopum simul spectet, per ipsum negligentiam ad Archiepiscopum devolvitur electio, C. 15. de Consec. Prab. ibi: *Quod si vos, & idem Archiepiscopus intra tempus prescriptum circa hoc negligentes extiteritis, sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferentia, sed secundum statuta Lateranensis Concilii, ad Superiorem transit donatio, nisi forte Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi.* Et in hoc casu cum dolo se impedierit, dolus est suffragari non debet. Quando collatio, vel electio pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, uno eorum effectio inhabili, ad alium pertinet, & devolvitur collatio, vel electio, C. un. Ne Selevae. in 6. quae omnia constant ex L. 9. tit. 16. p. 1. Gonz. in C. fin. b. t. n. 15.

199. Si Ecclesia exempta immediate subiecta Pontifici negligat intra tempus legitimum Prælatum eligere, devolvitur hæc potestas ad Papam. Si non sit exempta, & sit Cathedralis devolvitur ad Archiepiscopum: si inferior, Regularis, vel Secularis, ad Episcopum devolvitur, C. 41. de Elect. quo corrigitur jus antiquum in C. 12. de Consec. Prab. Si Patronus Laicus negligat intra quadrimestre præsentare, & supplebit Superior (etiam si non sit Episcopus) ad quem spectet instituire præsentatum, C. 3. C. 27. de Jur. Patron. Patronus Ecclesiasticus, etiam si Laico jus Patronatus adquisierit, semel habet ad præsentandum, C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6. quod si negligens sit, jus præsentandi, & conferendi devolvitur ad ordinarium collatorem: à fortiori erit habendum pro Ecclesiastico jus patronatus mixtum, cum prevaleat, quod magis dignum est; arg. C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6. Gonz. in C. fin. b. t. n. 10. Nostris Re-

gibus non nocet lapsus quadrimestris, licet intra ipsum non præsentent ipsi, vel eorum Officiales ad Ecclesias Cathedrales, vel alia beneficia juris patronatus, sive in Hispania, sive in Indijs, eo quod pluribus, maximeque occupationibus impeditis tam in bello, quam in pace, non possit ad negligentiam imputari, si non præsentent tempore præscripto: imò maxime eis indulgendum est; arg. C. 5. de Consec. Prab. Sotus. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 3. cap. 3. n. 49. & 50. alios citans.

200. Cum generaliter prohibeatur Archiepiscopo exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, C. 11. de Offic. Ordin. nisi expressè ipsi concedatur, C. 1. b. t. in 6. non potest Archiepiscopus suppleri negligentiam Episcopi in administratione iustitiae, vel officij cognoscendo de causis subditorum Episcopi in prima instantia, vel eos condemnando, excommunicando, absolvendo, ordinando, &c. possunt tamen Aconomos constituere ex dispositione, Text. in C. 3. q. 3. Si Episcopus ob negligentiam nolit, vel ob suspensionem, vel excommunicationem non possit ad suum officium pertinentia exercere, recurret Capitulum ad Papam, tanquam universalem Pastorem, ut vel compellat, vel absolvat, vel provideat, C. 17. C. 18. q. 3. Quando Episcopus est ab hostibus captus, vel amens, cum tunc perinde sit, ac si Sedes vacaret, jurisdictione in Ecclesiam, & Diocesim devolvitur ad Capitulum, C. 3. b. t. in 6. Si ille qui alicui communitati præest, sit in officio negligens potest Superior illi dare idoneum Curatorem, C. 2. b. t. in 6. Ecclesia Cathedrali vacante solus Papa Visitatorem deputat, nisi forte Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligentem, aut perperam administret: nam tunc Archiepiscopus, vocato Capitulo, causaque cognitione super hoc præmissa, Visitatorem, seu Administratorem deputat. Et quidem deputatus à Papa confert beneficia, quæ ad collationem pertinent Episcopi: secus deputatus ab inferiori, C. fin. b. t. in 6. Si Episcopus ter requisitus renuit benedicere Abbatibus, illi Subditos, possunt hi suos Monachos benedicere, C. 1. b. t. Sed hodie vel nulla indigent benedictione Abbates Monachales, vel possunt quemcumque Episcopum, vel suum Generalem, vel Vicarios ab eo deputatos pro benedictione accedere. Ex Consec. Innoc. VIII. & Clem. VIII.

TIT. XI.

De Temporibus ordinationum, & qualitate Ordinationum.

201. Non agimus hic de ordine in ea latitudine, in qua à Div. August. dicitur, quod est parium dispariumque rerum, sua cuique tribuens dispositio; sed pro illa potestate, quam Clerici recipiunt ad ministrandum Altari. Ordinatio est ipsa actio, seu caremonia sacra, per quam libenter ea potestas confertur. Ordo enim est signaculum quoddam Ecclesiae, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, juxta Mag. sentent. in 4. D. 24. q. 1. Et explicat D. Thom. ibid. q. 1. art. 1. q. 2. dicens: *Quod definitio Magistri duo ponit: signum exterius, ibi: Signaculum quoddam, & effectum interiore ibi: per quod spiritualis potestas, &c.* Prædictam ordinationem esse Sacramentum à Christo D. institutum est de fide contra Lut. Illyric. Kemnitium, & alios Hæreticos, qui negant ordinem esse Sacramentum apud Bellarm. Et est definitum in Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. Can. 1. & sess. 23. cap. 3. & Can. 3. Hoc Sacramentum fuit institutum in nocte cenæ: Nam postquam Dominus suum Sacratissimum Corpus Discipulis dedit, addidit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19. Et tunc hoc Sacramentum fuit institutum; Barbos. de Offic. Episc. alleg. 2. n. 2. plures citans.

202. Sacramentum ex D. August. in C. 32. de Consec. D. 2. est invisibilis gratia visibilis forma. Ita & Mag. in 4. D. 1. q. 1. quæ definitio convenit ordini, consequenterque est Sacramentum, gratiam confert, 1. ad Timot. 4. ibi: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presby. erij, & characterem imprimi, sicut baptisimus, & confirmatio*, Trid. sess. 23. cap. 4. & Can. 4. Et quamvis omnes ordines physice distinguantur, omnes constituunt unum tantum Sacramentum moraliter per aggregationem, & ratione finis, ad quem ordinantur, nempe ad constituendum idoneum Eucharistiae Ministrum; & per quos gradatim ascenditur. Et licet in quolibet ordine distinctus imprimatur character, omnes simul faciunt, & integrant unum characterem ordinis, Div. Bonav. in 4.

D. 24. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. & 3. Laur. lib. 6. p. 2. n. 22. 11. Ex his, quinque primæ appellantur *minores*, cæteri autem *maiores* vocantur, & etiam *sacri*: habentque votum castitatis annexum. Audiamus Divum Hieronymum sic de ordinibus loquentem, in C. 1. D. 21. *Generaliter Clerici numerantur omnes, qui in Ecclesia Christi deservunt; quorum gradus, & nomina sunt hæc. Ostiarius, Psalmista (id est prima tonsura initiatus, qui, & dicitur Cantor in C. 20. D. 23. l. 11. tit. 6. p. 1.) Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Eisdem numerat R. N. Alphonlus in Præm. tit. 6. p. 1. ibi: *Nove ordines de Angelis ordeno nuestro Señor Dios en la Iglesia Celestial, è puo à cada una de ellas en su grado, è dno mayorias à los unos sobre los otros, è pafolos nomes segan sus officios: ende à semejanza de esto ordenaron los Santos Padres en la Iglesia terrenal nueve ordenes de Clerigos.* Communis enim sententia Canonitarum est, ordines esse novem, contra T. I. qui septem tantum, esse contendunt. Et quia solum de prima tonsura, & Episcopatu dubitatur, cum in cæteris non detur dissidium, breviter meum dictamen aperiam.*

203. Plurimi negant primam tonsuram, esse ordinem, secuti Mag. sent. in 4. D. 24. q. 2. & ibid. D. Thom. art. 1. q. 2. D. Bonav. p. 2. art. 2. q. 2. à quibus invitus, & dolens discedere cogor: neque assero, primam tonsuram, seu psalmistatum esse ordinem, & Sacramentum, secutus in hoc Sacros Canones, Div. Hieronymum, R. N. Alphonlus, & alios. Nam tonsuratus, cantor, seu psalmista inter Clericos numeratur, in C. 2. D. 44. Can. 25. Apost. C. 1. D. 77. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 1. Pontif. Rom. in tit. de Ordin. confer. Deinde Innoc. III. interrogatus, an Clericatus ordo in tonsura coneratur, discrete respondit in C. 11. de Etate, & qualitate. *per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiae datam à talibus Clericalis ordo confertur Bonif. VIII. in C. 2. de Pœnis in 6.* Instituit: quod in degradatione auferat Episcopus Clerico omnia vestimenta, inchoando, & descendendo gradatim, degradationem continet usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ. Item Sacra Congregatio respondit, primam tonsuram imprimere characterem, ac iterari non posse, quod præcipue probatur ex Const. Innoc. XII. Speculatorum, 4. Nov. 1694 ubi: *Characterem Clericalem suscipere, ait, tonsuratum. Denique prima tonsura habet propriam materiam, formam, & Ministrum: quid ergo*

ergo illi deest, ut sit ordo? Est ne fortius argumentum negativum adversariorum? Scilicet, quod in Trid. & aliquibus Canonibus non fiat expressa mentio tonsuræ? Scilicet in C. 1. D. 77. C. 5. D. 93. cum hoc aque probaret, Acolytum, & Exorcistam ordines non habere: cum in C. 6. 27. q. 1. non fiat mentio illorum. Et quidem expressa sit ibidem mentio psalmittatus, qui est idem ac prima tonsura, quod fit in Trid. sess. 14. de Ref. cap. 2. contra distinguitur prima tonsura ab ordinibus minoribus, hoc solum probat, primam tonsuram non esse unum ex quatuor ordinibus minoribus, non verò probat, non esse ordinem, quem si mavis poteris minimum, vel quintum vocare. Nam quo jure, vel ratione impropiè tot auctoritates Conciliorum, Patrum, & SS. Pontificum accipimus? Ideo Barbof. de Offic. & Pot. Episc. alleg. 2. n. 16. dicit, hanc esse vtiorem sententiam. Et licet Laici soleant facere officium ad primam tonsuram pertinentis, imò, & pertinentis ad ordines minores: tamen sic tonsurati illud exercent ex officio, & speciali deputatione.

204. Similiter de Episcopatu est magna controversia, an sit distinctus ordo à Sacerdotio, in qua diversis diversissima placent. Alij enim absolute affirmant, alij absolute negant, esse verum, & distinctum ordinem: alij denique varijs limitationibus perplexam resolutionem relinquunt, & sub illarum larva suam mentem occultant. Dicendum tamen cenfeo, quod licet Episcopatus supponat necessario Sacerdotium, & in ordine ad consecrandam Eucharistiam non habeat Episcopus majorem potestatem, quam Sacerdos, est tamen ordo distinctus omnino à Sacerdotio, quia habet potestatem ordinandi Sacerdotes, & alios Ministros Sacrificio Missæ deservientes; & consecratio Episcopalis imprimet characterem; C. un. de Ordinatio. ab Episc. quamvis dependentem, & connexum cum characterè Sacerdotali, distinctum tamen ab illo, sicut character ordinis distinguitur à characterè baptismi, licet illum necessario supponat, C. 1. fin. de Presbyt. non baptiz. confertque gratiam Episcopo consecrato, juxta illud D. Paul. 1. ad Tim. 4. ubi loquendo de consecratione Timothei in Episcopum, ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, id est Presbyterorum, seu Episcoporum. Et quando Episcopus consecratur, ordinari dicitur in C. 7. D. 23. Et ut distinctæ ordinationes ponuntur ordinatio

Episcoporum, & ordinatio Sacerdotum, quod comprobatur ex Trid. sess. 23. cap. 4. ibi: *Docet insuper Sancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum ordinum, &c.* Et Can. 6. ibi: *Sæ quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris anathema sit.* Et Can. 7. *Sæ quis dixerit, Episcopus non esse Presbytero Superiores, vel non habere potestatem ordinandi, & confirmandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Denique Episcopatus habet Ministerium proprium, confert gratiam, & potestatem specialem, habetque materiam, & formam propriam, imprimetque characterem: ac proinde nihil ipsi deesse videtur, ut Sacramentum sit. Vid. Vaquez in 3. p. D. 1. tom. 3. D. 2. 201. cap. 3. Dian. Concord. t. 4. tr. 8. f. 321. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 1. ex n. 18. Gonz. in C. 7. b. t. n. 4. contra D. 1. tom. in 4. D. 24. q. 2. art. 2. q. 2. D. Bonav. ibid. & com. 11. Episcopatus enim est quali quadam Sacerdotij perfectio, adeo ut licet Sacerdotium sine alijs ordinibus collatum, valeat, secus Episcopatus. Lacr. 1. 6. p. 2. ex num. 2209.

205. Quilibet ordo habet materiam, & formam propriam. Hæc consistit in verbis, quæ ab ordinante proferuntur, cum traditur materia ordinando, significantque potestatem in ipso ordine collatam. Materia, alia est proxima, & consistit in traditione rei, quæ est materia remota. Hæc ergo est ipsa res, seu instrumentum, quod traditur ordinando, & significat potestatem communicandam. Et licet de materijs Sacramentorum non constat clarè in scriptura, sufficit tamen traditio Apostolorum, quæ colligitur ex perpetua consuetudine; & usu Ecclesiæ; Barbof. de Offic. Episc. alleg. 11. n. 9. Materia, & forma ordinum hæc sunt. 1. Materia primæ tonsuræ est traditio velis alba, seu superpellicei cum rasiore capillorum. Forma est: *Inauct te Dominus, &c.* vel: *vide ut quod ore cantas, & quod credis, operibus comprobas.* Et datur potestas ad ministerium sacrum cantandi psalmos, lectiones, & responsoria. Et sic ordinati psalmista, à psalmis canendis, & cantores dicebantur, C. 1. D. 21. C. 20. D. 23. 2. Materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ, & cymbali, quo Populus convocatur ad ipsam. Forma est: *Sic agite, quasi reddidit Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Tales Ostiarij, seu

Janitores (sic dicti, quia præfunt Olij Templic) tenentes Clavem Ecclesiæ, omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos, & malos habentes judicium, dignos recipiunt, & indignos respuunt, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes, & ementes ejecit de Templo. Sic Mag. Sent. in 4. D. 24. q. 1. 3. Materia Lecturatus est traditio Libri lectionum, seu Epistoliarum, Prophetiarum, &c. Et à legendo Lectores dicuntur sic ordinati, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Forma est: *Accipite, & esote Verbi Dei Relatores habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem, cum ijs, qui Verbum Dei bene administraverunt ab initio.* Hoc officium implevit Christus, cum in medio Seniorum, librum Isaiæ apertens distinctè ad intelligendum legit: *Spiritus Domini super me, &c.* Mag. in 4. D. 24. q. 1. 4. Materia exorcizatus est traditio Libri Exorcizorum. Forma: *Accipite, & commendate memoria, & habete potestatem imponendi manus super Energumenas, seu baptizatos, seu Catechumenos.* Exorcizatus ex Græco in Latinum adjurantes, vel inerepantes vocantur. Invocant enim super Catechumenos, & super eos, qui habent Spiritum immundum nomen Domini, adjurantes per eum, ut egeat ab eis, C. 1. D. 2. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Christus cum demoniacos multos sanavit. Mag. in 4. D. 24. q. 1. 5. Materia Acolytarius est traditio urceoli vacui, & candelabri cum cereo extincto. Forma: *Accipite cerosarium cum cereo, & sciat, vos ad descendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.* Et *accipite urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* Acolyti Græcè, Latine ceroserarij dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, vel Sacrificium offerendum, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc officium Dominus se habere relatur dicens: *Ego sum lux Mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Mag. in 4. D. 24. q. 1.

206. 6. Materia Subdiaconatus est traditio Calicis vacui cum Patena vacua superposita: vel Libri Epistoliarum secundum alios. Forma est: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, idè vos admonet, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Subdiaconi, seu Hipodiaconi Græcè, apud Hebræos Nathinai, & Latine subministri possunt dici, sunt qui subjacent

Diaconis, seu Levitis, & illis ministrare debent, C. 1. D. 21. L. 10. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se præcinxit, & mitens aquam in pelvim, pedes Discipulorum lavit, & linteo terit. Mag. in 4. D. 24. q. 1. 7. Materia Diaconatus est traditio Libri Evangeliorum, cui præmittitur impositio manus Episcopi super caput ordinandi, non de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto. Forma est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Diaconi Græcè dicuntur, qui in Legge Veteri Levita dicebantur, quia erant de Tribu Levi, quæ ordinata erat, & consecrata Domino, ut ei serviret ex ea ori; & gestarent Arcam, & Tabernaculum, & omnia vasa ejus, & in circuitu Tabernaculi excubarent. Apud Hebræos Meschabretb, Latine Ministri dicuntur: quia debent ministrare Sacerdotibus in Sacramenti, debentque oblationes offerre, & disponere in Altari, componere mensam Domini, & vestire, Crucem ferre, & prædicare Evangelium, & Epistolam ad Populum, C. 1. D. 21. L. 10. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Christus, quando post Cœnam Sacramentum Carnis, & Sanguinis, Discipulis dispensavit: & quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit, dicens: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Hic ordo est celebratus ab Apostolis Act. 6. quando Septem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium elegerunt, manus eis imponentes, Mag. in 4. D. 24. q. 1. in L. 10. tit. 6. p. 1. vocantur Evangelizatores. 8. Materia Presbyteratus est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Forma: *accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missæque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Et ad impositionem manuum Episcopi dicitur: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.* Presbyter Græcè Latine dicitur Senior, quia Presbyteri, licet non sint ætate senes, tamen propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, morum prudentia, & maturitate conversationis præcellere dicuntur in Populo: Etiam Sacerdotes vocantur, qui Sacra dant, & consecrant Corpus Christi, C. 1. D. 21. L. 9. tit. 6. p. 1. Hic ordo à filijs Aaron sumptus initium, nam ipse Summus Pontifex; filij verò ejus facti fuerunt Sacerdotes. Hoc officio usus est Christus, cum se ipsum in Ara Crucis obtulit: idem Sa-

cerdos, & Hostia; & quando post Coenam panem, & vinum in corpus suum, & Sanguinem commutavit. *Mag. in 4. D. 24. q. 1.*

207 9. Materia Episcopatus est impositio manuum Episcopi consecrantis, & Episcoporum assistentium super caput consecrandi, & impositio libri Evangeliorum super ipsius consecrandi cervicem, & scapulas, & insuper requiritur traditio baculi Pastoralis, & annuli: quod saltem in praxi tenendum est, *Lacr. lib. 6. p. 2. num. 2148. & alij.* Forma est: *Accipe Spiritum Sanctum, & c.* nempe cum quadam plenitudine gratiae ad omnes Episcopales functiones. De quo late *Dian. Concord. tom. 4. tr. 8.* Ordo Episcoporum quadripartitus est, scilicet, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis. *Patriarcha* Graeco *Summus Patrum* interpretatur. *Archiepiscopus* Graeco vocabulo *Summus Episcoporum* dicitur, tenet vicem Apostolicam, & praedict tam Metropolitanis, quam ceteris. *Metropolitani* a mensura civitatum vocantur. Solitudo enim totius Provinciae ipsi commissa est: *Episcopus* dicitur, quali *superintendat*, scilicet, curam gerens subditorum. *Episcopi* enim Graeco Latine *Speculatores* interpretantur. Nam speculator est praepositus in Ecclesia, sic dictus eo quod speculetur, & perspicat Populorum infima se positum mores, & vitam. Episcopus etiam dicitur *Pontifex*, quasi Princeps Sacerdotum, & via sequentium: Etiam dicitur *Antistes*, quia *ante stat*, & primus est in Ordine Ecclesiae, supra se nullum habens. Sed omnes hi uno, eodemque vocabulo Episcopi nominantur, & ideo privato nomine quidam utuntur propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt. *C. 1. D. 21.* quem Textum ex D. Isidoro deductum transcripsit *Magist. Sent. in 4. D. 24. q. 3.* Sed pro ejus intelligentia notari oportet, quod Archiepiscopi non distinguuntur a Metropolitanis, ut ait *Barb. in C. 1. D. 21.* ac proinde in praedicto Textu ubi Archiepiscopi Metropolitanis praefertur, nomine Archiepiscoporum intelliguntur Primates, ut ait *Gl. ibid. v. Archiepiscopis.* D. Isidorus in praedicto Text. ait: Metropolitanos sic dici a mensura civitatum, & hoc forte, quia debebant habere sub se decem, vel undecim civitates, de jure antiquo in *C. 2. 6. q. 3.* Sed certe verius attenda Graeca, & juridica significatione *Metropolis* dicitur: quali *Matrix Civitas.* *L. 4. §. 5. L. 7. ff. de Offic. Procons. C. 13. D. 12. Lexic. Graec. & sic com. DD.* Et quidem meo vi-

deri equivocatio consistit in qualitate litterae Graecae. Inter omnes has Episcoporum species primatum abs dubio tenet Episcopus Romae: qui inter ceteros totius universi tantum supereminet; *quantum lenta solent inter Viturna Cupressi.* Hic enim est Vicarius Christi ejus locum in terra tenens, successor Petri, Apostolorum Principis, Caput visibile Ecclesiae, Judex controversiarum, etiam gravissima sunt, quae inter fideles possunt moveri in materia fidei, & morum: Legislator Supremus universalis Ecclesiae, & juris Canonici dispensator. Hic nomine Graeco dicitur *Papa*, hoc est *Pater.* Et quamvis hoc olim nomine etiam Episcopi decorarentur, jam nulli licet hoc nomen uti uti- pare ex ordinatione *Greg. VII.* Etiam per antonomasiam dicitur *Pontifex*: quamvis adhuc tale nomen alijs Episcopis sit commune: Pontifex dicitur a verbis *posse*, & *facere.* Et bene quidem, nam utrema auctoritate, & potestate gaudet in terris, non improprè in Terregno, seu triplici Tiara Corona significata: Nam ipsi apprimè convenit, quod quidam de Jove ce- cinerit. *Super arces temporat aetheras, & Mandi regna triformis.* Ipse est Caput Ecclesiae Romanae, qui omnes judicat, & ad nullum judicatur, & sine quo nec Concilia Generalia auctoritatem habent. Et Romana Ecclesia, cui ipse praesidet est Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum totius Orbis Christiani, ad quam omnes appellant, & recurrit. Ut late habetur in *C. 4. C. 6. de Elef. C. 1. D. 17. C. 4. §. seq. 2. q. 6. L. 5. tit. 5. p. 1.*

208 Ad valorem Sacramenti ordinis est necessarius contactus saltem mediatus materiae ab ordinante tradite, ut si quis Calicem tangat, eo mediante Patenam ipsi impositam tangit, nec sufficit contactus moralis. *D. Thom. in 4. D. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3.* ibi: *Ipsa verba forma videntur ostendere, quod contactus materiae sit de Essentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc, vel illud.* Et cum hac sententia tutior sit, quam contraria, sequenda omnino est postquam Innoc. XI. hanc propositionem, quae prima est damnavit: *Non est illicitum in Sacramenti conferendo sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori.* Sententiamque dicentem, quod ad valorem ordinum non requiritur contactus physicus saltem mediatus vasorum, seu instrumentorum practice improbabilem judicant Cardenas, & alij cum *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2148.* Ad validam ordinationem requiritur, quod

ordinandus sit mas baptizatus; si enim inveniretur Sacerdos non baptizatus deberet baptizari, quia baptismus est *janna, & fundamentum reliquorum Sacramentorum.* *C. 2. de Cogn. spir. in 6.* Et omnes ordines, utpote nulliter collati, necessario essent reiterandi. *C. 1. c. 3. de Presbyt. non baptiz.* etiam communi errore haberetur, ut baptizatus; nam nec communis error, nec titulus putativus potest facere, quod talis sit ordinatus. Et cum haec inhabilitas a Jure Divino proveniat, nequit eam error communis, nec Ecclesia subsanare. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 2. ex n. 9.* foemina Jure Divino est incapax ordinis suscipiendi. *D. Thom. in 4. D. 25. q. 2. art. 1. Suar. de Cens. D. 51. sect. 2. n. 1. Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 36. n. 6.* Nam ut ait Div. Paul. 1. ad Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui.* Et ex ratione *Tex. in c. 10. de Penitent. & remis.* ibi: *Quia licet B. Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed ipsis, Dominus Claves Cali Regnorum commisit.* *L. 26. tit. 6. p. 1. Diaconissa, Presbyter, & Episcopa,* quarum olim copia esse videbatur, & de quibus fit mentio in *C. 18. c. fin. D. 32. c. 23. 27. q. 1.* non erant foeminae ordinatae juxta Ecclesiae ritum: sed erant uxores eorum, qui Diaconi, Presbyteri, vel Episcopi fieri erant, & ab eorum consortio abstinabant. Vel erant viduae proveciores 40. vel 60. annorum, quae destinabantur ad curam quarundam rerum Ecclesiae, praecipue Diaconissae, quae magna cum solemnitate, & caeremonijs benedicebantur. Et hoc modo intelligendum est, quod dicit Aeneas Sylvius, quod foror Boleslai fuit Sacerdos consecrata. Diaconissa tamen nec benedicebat, nec aliquid ex his, quae faciunt Presbyteri, ipsa faciebat: sed tantum custodiebat portas, & ministrabat Presbyteris, quando baptizabantur mulieres propter honestatem, ut refert *D. Clem. Const. Apost. l. 8. c. 31.* Et *lib. 16. c. 7.* ait: *Diaconissa eligatur virgo pudica, si autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quae uni nupserit.* Hic tamen Diaconissa gradus caput aboleri ex Ann. 320. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 36. Villar. de Regim. Eccles. p. 1. q. 2. art. 6. ex n. 67.* facit *D. Thom. in 4. D. 25. q. 2. art. 1.* Nec potest ordinari Hermaphroditus, in quo sexus foemineus praevaleat, nam tunc pro foemina habetur, *L. 10. ff. de Stat. homin. ibi: Hermaphroditum, cui comparamus: & magis puto ejus sexus asstimandum, qui in*

eo praevaleat. Si vero praevaleat sexus virilis, quia simpliciter vir reputatur, non est Jure Divino incapax; sed ob indecentiam, & monstruositatem irregularis est: cum talis sit absurdio corpore variatus, de quibus in *C. 1. D. 36.* dicitur: *Bliteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus praesumat ad Clericatus ordinem promoveri.* Si foemina erumpat in virum, ita ut in ea solum inveniat virilis sexus, potest ordinari, quia absolute est vir. Si sexus, etiam foemineus permaneat, dicendum quod de Hermaphrodito. *Suar. de Censura D. 51. sect. 2. n. 1. & 2.* de hujus casus potestabilitate testatur *Plinius l. 7. c. 4.* & varij Recentiores disputant. De Hermaphroditis videantur *Viscion. de Trece. v. Hermaphrodit. Paulus Zacch. & alij.*

209 Ordinandus debet esse capax rationis, & habere intentionem saltem habitalem ordinis suscipiendi, quia debet aliquomodo in novum statum consentire. Si consensit, quamvis metu coactus, quia voluntas coacta, voluntas est, valet ordi collatus. Si vero absolute reluctans fuit, v. g. si vi detentus ordinetur, invalida est ordiatio, nec imprimi characterem; *arg. c. 3. §. fin. de Baptism. ibi: Ille, qui non quamvis consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* *Barb. de Offic. Episc. alleg. 2. n. 5. Leg. 32. tit. 6. p. 1. ibi: Mas si aquel, que ordenaren por miedo, nunca consintio, mas contradixo todavia, non recibe la Orden, nin finca señalada el alma de dentro por ello.* Si metus fuit levis, vel iustus incultus, licet gravis, vel post ipsum ratificatum sit votum, vel expressè, vel tacite; tenetur sic metum passus ad onera Sacro Ordini annexa, ad castitatem, recitationem Officij, &c. *Arg. c. 4. de Regul. Sancb. de Matrim. l. 7. D. 29. n. 9.* Extra hos casus probabiliter non tenetur ad castitatem: siquidem Ecclesia non praecipit absolute, & directe castitatem; imò, nec eam praecipere potest. *C. 13. 32. q. 1.* sed solum indirectè, eis scilicet, qui velint Sacros Ordines suscipere. Et qui meti coactus in sui ordinationem consensit, non videtur in se velle talem suscipere obligationem. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 29. n. 5.* Si puer, imò furiosus, vel amens perpetuo, ordinetur, characterem recipit; *Arg. c. un. de Cleric. per saltum. D. Tb. in 4. D. 25. q. 2. art. 1. q. 2. D. Bonav. in 4. D. 25. art. 2. q. 2.* qui dicunt ad Episcopatum requiri consensum de necessitate Sacramenti: ad majores Ordines, de necessitate praecipit, non vero Sacramenti: ad minores, solum ex honestate, requiri usum ra-

tionis. Si vero aliquis in furorem, vel in amentiam incidit, si tempore usus rationis non petijt ordinari, in valde postea ordinatur, quia cum ordo non sit necessarius, sed voluntatis censeatur rejectus, si cum potuisset liberè peti, non fuit petitus.

210. Ante legitimam ætatem nullus ordinandus est juxta præceptum Apostoli 1. ad Tim. 5. v. 22. ibi: *Manus cito nemini imponeris.* Ad tonsuram recipendam olim septem anni requirebantur. *C. fin. h. t. in 6. l. 27. tit. 7. p. 1.* quæ ætas etiam hodie post *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 4.* desideratur. Ad Ordines minores non erat certa præfixa ætas: aliquando 14. anni præscribuntur. *Ut in c. 20. D. 77.* & alibi: Tridentinum nullam certam ætatem definivit, ideo aliqui septennium sufficere, alij 12. annos requiri, tenent. Pro Subdiaconatu aliquando 14. annorum. *C. 2. D. 77.* aliquando 20. annorum ætas fuit præcepta. *C. 4. D. 77.* In Conc. Viennensi in *Cl. fin. de Aet. & Qualit. ætas 18. annorum* fuit præfixa: pro Subdiaconatu. 20. pro Diaconatu. 25. pro Presbyteratu. Olim in *Loge Veteri* 25. anni pro Levitis requirebantur. *Num. 8. v. 24.* & sic pro Diaconatu olim ætas 25. annorum erat necessaria. *C. 4. D. 77.* Sed hodie 23. anni sufficiunt. Pro Presbyteratu olim 30. anni erant necessarii. *C. 6. D. 77.* quia Christus in hac ætate prædicare cepit. Sed hodie sufficit, quod 25. annus sit inceptus. Nam *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 12.* de ætate necessaria ad Ordines majores loquens ait: *Quod nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis sue annum promoveatur.* Et factum est, si incepti sint. Olim ex *Trid.* sess. 24. de *Ref. c. 1.* In Cardinalibus etiam Diaconis requirebantur 30. completi, sicut in Episcopis; quod temperavit Sixtus V. in *Const. Pædagog. Ann. 1586.* solumque requirit ætatem sufficientem ad suscipiendum intra annum ordinem Diaconatus.

211. Ut licitè quis ordinetur, præter ætatem, & usum rationis, debet habere animum Clericandi. *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 4.* non debet esse Neophytus, seu recentè conversus, non ligatus censura, nec irregularitate; debet esse confirmatus. *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 4.* saltem sub veniali. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 2. ex n. 14.* debet carere mortali, quando ordinatur, quia est Sacramentum vivorum: debetque esse bonæ vitæ, & exultationis publicæ. *C. 4. h. t. Cælebs. C. fin. h. t. in 6.* Si fit uxoratus, indiget consensu

uxoris, & ipsa debet Religionem ingredi, vel si sit procreata ætatis, in seculo manens, & votum continentia emitteat. *C. 4. c. 5. c. 8. de Convers. Conjug.* Item debet esse litteratus. *C. fin. h. t. in 6.* Sufficit tamen, illam scientiam habere, ut sit idoneus ad exercitia ordinis suscipiendi. *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 4. c. 13. c. 14.* Ad primam tonsuram requiritur, quod quis sciat rudimenta fidei; legere, & scribere. Ad minores Ordines est necessarium linguam Latinam intelligere. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum requiritur cognitionem, quæ ad illos ordines spectant. Ad Sacerdotium requiritur, quod Populum docere possit necessaria ad salutem, & quod sciat administrare Sacramenta. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 1. n. 11.* Deinde ordinandus debet esse subditus ordinantis aliquo titulo. Et licet ab Episcopo originis, v. g. quis unum ordinem susceperit, potest alium ab alio, scilicet ab Episcopo beneficij, alium ab Episcopo domicilij sine prævia licentia suscipere. *C. 3. h. t. in 6. Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 8. Innoc. XII. in Const. Speculatorum Ann. 1694.* nisi ab ipso Papa esset ordinatus, nam ob reverentiam Sedis Apostolicæ esset necessaria Papæ licentia ad ulteriorem promotionem. *C. 12. h. t. l. 5. tit. 5. p. 1.* Qui ab Episcopo proprio: v. g. originis est prohibitus promoveri sine ejus licentia. *Trid.* sess. 14. de *Ref. c. 1. Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2185.*

212. Ad validam ordinationem requiritur in Ministro, ultra intentionem ordinandi, potestas conferendi ordines, qualem de Jure Communi habent omnes Episcopi consecrati ratione characteris Episcopalis, quamvis hæretici, vel degradati sint. *Trid.* sess. 23. de *Sacram. Ordin. c. 4.* ibi: *Sacrofancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris Superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conservare, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum sanctionum potestatem reliqui inferiores Ordinis nullam habent.* Et *Can. 7.* definitur, hanc potestatem non esse communem alijs Sacerdotibus: multoque minus competere dicendum est, Magistratibus Politicis, ut dicebant *Veicles, Hus, Luth. Calv. & alij.* Ut licitè fiat ordinatio debet ordinans esse Episcopus proprius ordinati, vel à proprio habere

licentiam. *Trid.* sess. 14. de *Ref. c. 2.* Et *sess. 23. de Ref. c. 8.* Episcopus proprius est ille, cui aliquis subditus est ratione originis, vel domicilij, vel beneficij. *C. 3. h. t. in 6.* Et omisissis pro nunc sententijs, ubi originem, domicilium, & beneficium, quæ attendi debent in alijs materijs: circa præsentem tamen suscipiendi Ordines aliqua declarata sunt, à quibus recedere non licet in *Const. Speculatorum Domus Israël. Innoc. XII. 4. Nov. 1694.* ubi sic statuitur circa originem, scilicet: *Ut ille tantum subditus sit ratione originis, ac esse intelligatur, qui naturalitè ortus est in ea Diocesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione, nimirum itineris, officij Legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentis ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita natiuitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri: tunc etiam ab Ordinatio ejus loci littera testimoniales obtineat, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio, similiter recensendas, præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime contractum pro ordinatione ejusdem filij attendi debeat. Qui per accidens natus est in aliquo loco, vel in mari, vel in itinere, vel in loco, ubi mater per breve tempus morata fuit, censetur natus in domicilio parentum suorum. *L. 3. C. de Municip. l. 10. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 4. n. 18. & 19.* per baptismum in aliena Diocesi non habetur titulus originis, quia baptismus est origo, non naturalis, sed spiritalis; nisi etiam Turca, Judæus, vel infidelis, eo quod tales nec rationem parentum, alicui Episcopo sint subjeçti, pertinentque ad originem spiritualem. Natus in loco nullius Diocesis subditur Episcopo viciniore. Quando de origine filij non constat, inspicitur origo Patris. *L. 6. ff. de Municip. si ejus locus sit incertus, vel filius sit illegitimus, matris origo attenditur. *L. 9. ff. ad Municip. Expositi pertinent ad Diocesim, in qua nati sunt, & etiam, in qua sunt expositi. Barb. de Offic. Episc. alleg. 4. n. 17.***

213. Quoad domicilium in prædicta Constitutione decernitur: *Ut subditus ratione domicilij ad effectum suscipiendi ordi-*

*nis dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen a se stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decemennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis edibus in loco hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod consuetudine tempus commorando, satis superque suum perpetuè ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ult. riuus in utroque casu, se veri, & realitè animum hujusmodi habere jure jurando affirmet. Si quis tamen a propriae originis loco in ea etate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici: Etiam Ordinarij sua originis testimoniales litteras afferre debent, ac de illis expressè similiter mentio in susceptorum ordinum litteris faciendâ erit. Ad hæc nullus Episcopus aliena Diocesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promoveri, seu ordinare præsumat: absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilij, Prælati testimonialibus litteris, & nisi ad præscriptum *Trid.* sess. 23. de *Ref. c. 9.* familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustinendam sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, statim intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis reipsa illi conferat. Et in ordinationis hujusmodi testimonio expressè familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur. Studiosi, etiam per plures annos non acquirunt domicilium in Academicis, quia non habent animum perpetuè illic habitandi, similiter dicitur de Custodibus Castrorum, famulis, & alijs hujusmodi. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 4. n. 9.* Potest tamen quis aucubi habere domicilium, etiam si animo paratus sit alio migrare, si promotio, officium, casus improvius, vel necessitas familia eo evocaret. *L. 7. C. de Incolis, l. 10. sic Senator, vel alius Officialis perpetuus Principum habent domicilium in ea Civitate ubi sunt, quamvis ibidem non sint cives, & possunt ab ejus Episcopo ordinari. Imò relegatus habet domicilium in loco sui exilij. *L. 22. §. 3. ff. ad Municip. Barb. de Offic. Episc. alleg. 4. n. 34. & 35.* Vagi, si non consistit de eorum origine, nec de paternâ, possunt se cuiuslibet Episcopo, cui voluerint, ut ordinetur, subijcere.**

214. Quoad beneficium denique in citata Bulla decernitur: *Ut nullus Episcopus, etiam Cardinalis possit aliquem non subditum ratione originis, seu domicilij, modo dic-*

dicto, ad clericalem tonsuram promovere, ex usque beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit, consentiendi, seu ad quod is a Patronis iam presentatus, seu nominatus fuerit prae-textu: etiam si beneficium praedictum, de novo ea expressa adiecta lege fundatum sit: ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituitur. Præter eam Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eandem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non possit ab alio Episcopo, ratione, aut titulo cuiusvis beneficii in illius Diocesi obtenti ad utriusque ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quam domicilij super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi conce- dit obtinuerit, eaque Episcopo ordinanti in actis illius Curia conservandas exhibuerit. Deinde: ut nullus Clericus ratione cuiusvis beneficii in aliqua Diocesi ob eam subijci dicitur jurisdictioni illius Episcopi, in cuius Diocesi beneficium huiusmodi situm est, ad effectum suscipiendi ab eodem Episcopo ordines, nisi beneficium eius sit redditus, ut ad congruam vitam sustentationem sive iuxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, abstratis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adjectione patrimonij, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu quavis alia Diocesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans tam de praedictis testimoniales litteras, quam de redditu beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debet. Hanc Constituit, affert, & explicat *Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 2165.*

215 Abbates benedicti, habentes jurisdictionem quali Episcopalem, usumque mitræ annuli, & baculi, dummodo sint Sacerdotes ex privilegio habent jus conferendi minores ordines. *C. 1. D. 69. c. 11. de Stat. & qual. l. 22. tit. 6. p. 1.* Olim subditi suis etiam secularibus. *C. 3. de rivoleg. in 6. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 5.* Hodie tamen post *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 10.* solum subditi Regularibus tales ordines possunt conferre. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 2190.* ubi sic declaratum testatur. Novitij non veniunt applicatione subditorum Regularium in Decreto *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 10.* cum adhuc non sint ligati vinculo obedientie, sed possint eorum superioritatem subterfugere *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 8.* Licet aliqui tenuerint, Guardianos,

Priores, Parochos, & simplices Sacerdotes posse primam tonsuram conferre. *C. 20. D. 23. Gl. in c. 1. D. 69. v. Lectoris:* Hodie hoc non subsistit, contradicente usu communi Ecclesie. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 16.* Ex delegatione tamen R. Pontificis simplex Sacerdos Ordines minores conferre potest. *Barb. alleg. 3. n. 4.* Regulares, etiam exempti, debent suscipere Ordines Sacros ab Episcopis, in quorum Diocesi sunt Monasteria, in quibus ordinandi degunt, vel dimissorias ab eis accipere debent, ex *Declar. Greg. XIII. Novitios posse Ordinari ab Episcopo loci, ubi sunt, licet alibi sint nati, tenet. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 62. contra Gutier. Cen. d. & alios.* De quibus late *Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 192. & 2236.* S. D. Benedictus XIV. in *Conti. imposita* 4. Mart. an. 1747. decrevit Regulares esse ordinandos ab Episcopo Diocesano vel de eius licentia ab alijs Episcopis: confirmat vero privilegium concessum post Tridentinum immutare, & directè (sectis per communicationem) aliquibus Regularibus, ut possint ordinari a quocumque Antistite Catholico Sanctæ Sedis gratiam, & communionem habente. Hi etenim hoc privilegio possunt, ut coque utuntur Religiosi Societatis quæ ipsi directè, & immediate à varijs Pontificibus est concessum, & confirmatum, ut affert *Lacroix n. 2194.* privilegia vero ante Tridentinum concessa, & non confirmata post ipsum, & quæ per communicationem sunt extensa, absolute revocantur. *

216 Quando Episcopus est suspensus per annum a collatione Ordinum, & suspensio est manifesta, quia scienter Clericum alienum ordinavit, illius subditi, si jam sint Clerici possunt à vicinis Episcopis Ordinari sine eius licentia. *C. 2. b. 1. in 6.* Quilibet Episcopus potest alienum subditum ordinare, dummodo præcedat proprii Episcopi licentia in scriptis, litteris, licet datus, quibus reverenter dimittuntur proprii subditi, & alieno Episcopo commendantur, ut ab eo ordinentur, & in ipsis proprius Episcopus testificatur de moribus, probitate, & scientia ordinandi, & ideo tales litteræ dicuntur *dimissoria testimoniales, reverendæ, & commendatitia.* *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 10. & sess. 23. de Ref. cap. 8.* Harum litterarum usus antiquissimus est, ut constat ex *c. 2. D. 73.* in his litteris debet inseri causa, propter quam proprius Episcopus nolit, vel non possit ordinare suum subditum, & alij ordinandum dimittit. *C. 1. b. 1. in 6.* Hæc enim dirigitur, vel generalitèr ad quem-

tumque Episcopum habentem Communionem Sedis Apostolicæ. *C. 19. de Prescript.* & solet addi dummodo talis Episcopus Clericum, & populum habeat: per quam clausulam excluduntur Episcopi Titulares, seu Nullatenes: *Hispaniæ: de Avillo,* vel dirigitur specialitèr ad Episcopum N. Et tunc ab illo solum potest Ordinari sic dimissus *arg. C. 5. de Presumpt.* Et solum Ordines in litteris expressè debent conferri; *arg. L. 5. ff. Mandat.* ipsique Episcopo ordinanti potest delegari examen, si à proprio Episcopo non est examinatus. Episcopus tamen, cui aliquis dimittitur ordinandus, etiam si talis ordinandus sit examinatus, & approbatus à proprio Episcopo, ut debet iuxta *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 3.* potest iterum illum examinare. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 7. n. 22.* Prædictæ litteræ dimissoriae, quæ gratis concedendæ sunt. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 10.* durant, tùm vivente, tùm mortuo eoque illas dedit: imò, & durant, quamvis non revocantur, & concessæ à capitulo, etiam post electionem novi Episcopi valent *arg. C. 5. de Ref. in 6. Barb. de Offic. Episc. alleg. 7. n. 23. & 24.* Hoc obio *Trid. sess. 217.* Has dimissorias possunt dare Episcopi proprii, sive originis, sive domicilij, sive beneficii *arg. C. 3. b. 1. in 6.* si sint confirmati, vel admittent Diocesim, etiam si consecrati non sint, quia tales dimissorias dare est actus jurisdictionis. *C. 15. de Elect. Capitulum, Sede vacante,* etiam intra annum luctus potest Episcopo extraneo dare licentiam ordinandi in Diocesi vacante, & litteras testimoniales de vita, & moribus suorum subditorum: Sed nunc post *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 10.* non potest concedere dimissorias, vel reverendas, seu dare licentiam, ut ordinentur, infra annum à die vacationis, nisi archæatis, hoc est, his, qui vel actum obinent beneficium, vel electi, presentati, vel nominati sunt ad beneficium exigens Ordinem Sacerdotalem intra annum: quod si capitulum contra hoc Decretum veniat, subiacet interdicto, & ordinati in minoribus, nullo privilegio gaudent, in majoribus autem ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi. Si vero alius Prælati contra formam prædicti Decreti dimissorias concedat per annum est ipso jure suspensus ab officio, & beneficio. *Trid. sess. 23. de Ref. C. 10.* Vicarius Episcopi non potest dare dimissorias. *C. 3. b. 1. in 6. ibi: Inferiores quoque Prælati: nisi eis à Sede Apostolica specialitèr sit indulgum, vel Officialis Episcopi (cum ad hoc se ipsius officium non extendat) huiusmodi nequeunt licentiam impertiri,*

*Episcopo autem in remotis agente, ipse in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante, Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noverit pertinere, dare possunt licentiam ordinandi. Prælati Regulares, seu Abbates, quantumvis exempti, & habentes mitram, & baculum, & facultatem conferendi minores Ordines, non possunt dare dimissorias secularibus suis subditis. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 10.* nec Novitij, solum de Jure Communi, nisi ex privilegio: Solumque possunt dimissorias concedere suis subditis Regularibus. *C. 7. de Offic. Ordin.* Et sic declaratum fuisse à *Clem. VIII. die 9. Martij Ann. 1592.* testatur *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 7. n. fin.* Sed in his attendenda sunt uniuscujusque religionis privilegia. In nostra Societate ex *Const. Greg. XIII. Pium, & utile, die 22. Sept. Ann. 1582.* Religioj prævia suorum superiorum facultate ad quocumque tam minores, quam Sacros Ordines promoveri valent à quolibet Episcopo, & Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, abique ulla functione, inquisitione de idoneitate, alijque requisitis, & abique ulla interdictorum observatione, etiam extra tempora, in tribus Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continentis. Et cum Pontifex in principio Constitutionis super hoc præceptum imponat omnibus Episcopis presentibus, & futuris in perpetuum, denique concludit: *Nos illius ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eo ipsi conferendi facultatem tribuimus,* quod confirmavit *Innoc. XII. die 17. Augusti. Ann. 1695. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2194.**

218 Clericus Sæcularis quamvis sit idoneus moribus, scientia, & ætate non potest nunc ad Sacros Ordines (& jure antiquo in *C. 2. de Præb.* nec ad primam tonsuram) promoveri, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad videndum honestè sufficiat, pacifice possidere, quod Titulus mensæ appellatur: cum non deceat eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore immittare, aut sordidum aliquem quantum exercere. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* ubi etiam dicitur, quod ordinandi ad Titulum patrimonij, vel pensionis debent habere bona, quæ ad sustentandam vitam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi, alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sint adepti, vel illud habeant, unde vivere possint. Bona igitur debent esse immobilia, nullo titulo, aut hypotheca obli-

obligata, fructifera, firma, & talia, quae à Clerico auferri non possint; nec sufficit, quod ordinandus habeat dominium decretum tantum, vel centum redimibilem; nec sufficit, ut possit ordinari, industria, officium, aut scientia ordinandi, v. gr. quod sit artifex, vel Doctor. *Gar. de Benef. p. 2. cap. 5. & alij.* Episcopus tamen conferens Ordinem Sacrum non habenti sustentationem necessariam undecumque, tenetur illi providere, & dare alimenta, donec illam consequatur. Et hoc onus est reale ad successorem transficiens. *C. 4. C. 16. de Praebend. C. 37. eod. in 6.* Excusatur tamen Episcopus, si caruit culpa; *arg. C. 2. de Constit. in 6.* Qui verò fingens, se titulum habere, sicut ordinatus, probabilis incurrit suspensionem ab executione ordinis sic suscepti; & si in eo ministret irregularitatem. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 20. n. 33.* Si pactum praesens sit de non inquietando ordinatorem, ordinator à collatione, praesentator ab executione ordinum per triennium suspensus sunt. Ordinatus vero ab ordine sic suscepto suspensus est perpetuo; & solum per Sedem Apostolicam cum eis dispensatur. *C. 45. de Simon. Beneficium*, ad cuius titulum quis ordinatur, debet esse perpetuum, ac proinde non sufficit titulus Commendae, vel Vicariae temporalis, vel Capellaniae amovibilis. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 19. n. 25.* potest tamen quis probabiliter ordinari ad servitium perpetuum alicujus Ecclesiae: non tamen sufficit beneficium litigiosum, nec quod quis sit praesentatus, nec electus ad aliquod beneficium: nam adhuc non habet actualem possessionem illius. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* In Regularibus professio religiosa libet locum Tituli. *C. 1. D. 70.* Et vocatur *Titulus pauperiaris*. Novitij verò, invalide profecti, aut illi, qui Religionem liberè dimittunt, vel ab illa dimitti possunt, non valent ordinari; *ex Const. S. Pij V. Romanus, 12. Nov. An. 1568.* In Societate nostra post vota simplicia biennij possunt, qui ea emisserunt, licet adhuc non sint profecti ordinari. *Ex Const. Greg. XIII. Ascendente, An. 1584.* Et sic ordinatis, si dimittantur, nihil tenetur praebere Societas. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2196.* Episcopus potest suos familiares ordinare juxta. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 9.* ibi: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque, etiam immemorabili in contrarium non obstante.* Familiaris in

praesenti dicitur ille, qui cum Episcopo fuerit commoratus, & praesens servierit; secus si absens sit, etiam sustentetur sumptibus Episcopi. In triennio, quod debet esse continuum, computatur tempus, quo familiaris commoratus est cum Episcopo, etiam antequam Episcopus factus fuisset: nam mens, & ratio finalis Trid. fuit, ut Episcopus possit mores ordinandi cognoscere. Episcopus tamen Titularis non potest aliquem praetextu familiaritatis ordinare sine expressa licentia proprii Praelati. *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 2.* Cardinales Presbyteri suis familiaribus Ordines Minores conferunt. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 5. per tot.*

219. Si Episcopus alicui illiterato, aut conjugato, extra casus à jure permisso, vel ante legitimam aetatem conferat primam tonsuram (secus si alios Ordines Minores) ab ejus collatione per integrum annum ipso jure suspensus est. *C. 1. in 6. in 6. Si conferat Ordines Majores* suspendendus est à collatione omnium ordinum, Et mala fide (secus si bona) ordinatus, licet ordo collatus valeat, ab executione illius usque ad legitimam aetatem, juxta *C. 14. b. t. Sed ex Constit. Pij II. Cum ex Sacrorum, An. 1461.* in perpetuum, donec absolvat, ipso jure, etiam si Regularis sit suspensus est. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 16. n. 24.* Et tam ordinans quam ordinatus, cum sint suspensi, irregularitatem incurrunt, si in ipsis ordinibus, à quibus suspensi sunt, ministrent: Has poenas non incurrit promotus ad minores, etiam si in ipsis ministret. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 16. n. 14.* Ordinans scienter, vel cum ignorantia affectata alienum subditum, incurrit ipso jure suspensionem annuam à collatione ordinum, de omnibus intelligo. *C. 2. b. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.* Sic ordinatus sine dimissorijs, temere, vel ignorantia affectata, ab executione ordinis suscepti, quicumque sit, manet suspensus, donec cum eo à proprio Episcopo dispensetur. *C. 2. b. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.*

220. Ordines gradatim sunt conferendi ab inferiori usque ad majorem ascendendo. *C. un. de Cleric. per saltum prom.* Ordines minores cum prima tonsura solent in eodem die conferri. *Barbosa de Offic. Episc. alleg. 11. n. 15.* Et in ordinibus conferendis servanda sunt interstitia, id est, quaedam temporis intervalia. Ad Ordines majores non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum est quis promovendus, ita ut ab

ul-

ultimo minori usque ad Subdiaconatum unus annus elapsus sit, alius à Subdiaconatu usque ad Diaconatum, & alius ab hoc usque ad Sacerdotium, non quidem Mathematicus, sed Ecclesiasticus; v. g. ab una ad aliam Quadagesimam: nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 11.* & etiam Capitulum, Sede vacante, potest in interstitijs dispensare, quando potest dare suis Subditis licentiam Ordines suscipiendi. Et quidem etiam cum Regularibus exemptis possunt Episcopus, & Capitulum in interstitijs dispensare: quia Regulares cum suorum Praelatorum licentia possunt se Episcopis subiacere quoad gratiam dispensationis obtinendam. Etiam Praelati Regulares exempti cum suis subditis in hoc valent dispensare. Debent etiam Ordines temporibus, & locis à jure statutis conferri: Et quidem prima tonsura, quolibet anni tempore, die, & hora conferri valet: nec est necessarium quod in Sacrificio Missae conferatur, neque quod ordinans sit jejunus, neque quod maneat talis collatio. *Pontif. Rom. tit. de Ordin. potestque conferri in qualibet Ecclesia, Oratorio, seu loco honesto. C. 6. D. 75.* Intra Dioecesim tamen: Si extra Dioecesim velit Episcopus, etiam ad primam tonsuram, & etiam suos subditos ordinare indiget expressa Ordinarii illius loci licentia. *Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5.* quod si locus exemptus sit, indiget insuper licentia illius loci Praelati. *Greg. XIII. apud Gallemark in Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5. Barb. de Offic. Episc. alleg. 6. n. 12. & 13.* In loco interdicto sive specialiter, sive generaliter, non possunt Ordines conferri. Ordinans in aliena Dioecesi sine consensu Ordinarii loci, ab exercitio Pontificalium, id est, omnium actuum, qui Episcopalis Ordinis proprii sunt; & sic ordinati ab executione ordinum, ipso jure suspensi sunt. *Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5.* Et etiam si bona fides excuset ordinantem, & ordinatum à tali censura, quatenus gravis poena est, quae nequit incurri sine culpa; tamen sic ordinatus ab executione ordinum privatur. *C. 7. 9. q. 2.* Ordines minores non tantum in ordinationibus consecuti, sed etiam quavis die Dominica, vel die festo possunt conferri; sed manet tamen. *C. 1. C. 3. b. t.* Diem festum talem esse debere, ut non solum sit in Choro sub Ritu duplici, sed etiam in foro, sub praeepto observandum, saltem in ea Dioecesi, declaratum esse testatur. *Barb. de Offic. Episc. alleg.*

Tom. I.

11. n. 18, nihilominus probabile videretur, posse Ordines celebrari in festo duplici de praeepto; imò & ad libitum. Et sic ab aliquibus practicatur. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2293. alios citans.* Ordines Sacri Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyterij solum conferuntur in Sabbatis quatuor Temporum, & Sabbatis Sancto, & ante Dominicam Passionis. *C. 1. C. 3. b. t. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.* Et in Cathedrali debent conferri, vel si in alio loco Dioecesis, debet dignior, quantum fieri potest Ecclesiae adiri. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.* sed cum verba Tridentini non indident praeeptum, hinc non solum in qualibet Ecclesia, sed etiam in speciali capella, & privata etiam Sacros Ordines conferunt Episcopi. Eodem die non possunt duo Ordines majores conferri, nec per privilegium. *Trid. sess. 23. de Reform. cap. 13. C. 14. C. 15. b. t.* nec Subdiaconatus cum minoribus. *C. 2. de Eo, qui furis. l. 27. tit. 6. p. 1.* Sed consuetudo, si alicubi viger, suscipiendi eodem die Subdiaconatum cum minoribus non est improbanda. *Nazar. in Man. cap. 25. n. 71.* quae serè omnia habentur in *L. 27. tit. 6. p. 1.* Ordinans extra tempora incurrit suspensionem, saltem sententia ferenda à collatione ordinis illicite collati, & illo superiorum. *C. 2. C. 8. C. 13. b. t.* ordinati suspenduntur ipso jure ab executione Ordinum.

221. Si ob multitudinem ordinandorum non potest absolvi ordinatio in Sabbato potest continuari Dominica sequente, continuato jejunio: sed jam ordinatus aliquo Ordine Sacro non potest alio die novum Ordinem Sacrum suscipere. *C. 4. D. 75.* si vero ordinatus est Presbyter potest etiam non continuato jejunio in Dominica sequente consecrari Episcopus; imò si die Dominica, manet etiam ordinatus Presbyter, eodem die hora tertia potest in Episcopo consecrari: quia Canonnes requirunt interstitia, non loquuntur de Episcopatu, & nullibi hoc invenitur prohibendum. *Gloss. in C. 4. D. 75.* Qui eodem die, vel continuato jejunio, Dominica sequente, contact duos Ordines majores suspenditur à collatione Collatorum Ordinum, saltem per sententiam. *Vid. Barb. de Offic. Episc. alleg. 14. n. 11.* Ordinatus modo dicto suspenditur ab executione posterioris Ordinis suscepti, donec à Papa dispensetur. *C. 13. b. t.* Si Episcopus conferat duos Ordines diversis diebus, licet non servatis interstitijs, nec ipse, nec ordinatus incurrunt aliquam

L

poc-

penam determinatam à jure, poterunt tamen aliqua poena arbitraria à superiori puniri: *arg. C. 4. §. 1. de Offic. deleg.* quia cum sint Canonis transgressores pro qualitate culpæ debet infligi poena. Consecratio Episcopi fit die Dominica. *C. 1. D. 75.* Et etiam in diebus Apostolorum quibus in munere Pastoralis succedunt Episcopi. *C. 2. D. 21.* consuetudo, ut Ordines extra tempora conferantur reprobatæ est. *C. 2. b. t.* nec Episcopus in hoc potest dispensare: Sed per privilegium post *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 22.* concessum, proprium, & speciale, & non communicatum, quia communicabile non est, possunt Ordines extra prædicta Tempora conferri: & tali privilegio gaudet nostra Societas. Ex Bull. Greg. XIII. *Pium, & utile.*

TIT. XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

222 **T**Riplex Scrutinium, sive examen ordinandi subire solent. Primum est illud, de quo loquitur *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 5.* ibi: *Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Ad majores assumendi per mentem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, vel alteri committat examen de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandorum. Sed hoc vix in usu est. 2. fit *feria 4. ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur: qui Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis Divina Legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.* *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 7.* Natale, genus, & ætas probantur per testimonium Parochi deductum ex Libro baptismorum. *Barb. de Offic. Paroch. p. 1. cap. 7. n. 4.* vel si ex aliquo casu sic probari non possint, probantur quidem per testes sanam, & alia adminicula. Fides, vita, & mores ordinandi probantur per litteras Prælati Regularis, si religiosus est ordinandus, vel per litteras Parochi, Magistri, vel aliorum si ordinandus Sæcularis sit. Intitutio, seu Titulus mentis probatur per instrumentum beneficii, vel patrimonij. Libertas à censura, irregularitate, alijque impedimentis testimonio ordinandi

probat, cum non præsumantur delicta. *L. 51. ff. pro Socio.* Doctrina probatur per examen, ad quod etiam Regulares tenentur. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 12.* Tertium denique Scrutinium, de quo agitur in *C. un. b. t.* fit quando aliquis in Diaconum, vel Presbyterum ordinatur. Sub ordinationis enim initium, olim Archidiaconus, hodie Sacellanus, vel Secretarius Episcopi, vel alius Diaconus ei assis-tens, & ordinandos præsentans alta voce ait: *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos presentes Subdiaconos, vel Diaconos ad onus Diaconij, vel Presbyterij ordinetis.* Tunc ordinans interrogat: *Scis, illos, dignos esse?* Cui respondet ipse: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor, dignos esse ad hujus onus officij.*

223 Illum verò, quem indignum esse non novit, dignum debet estimare. Si autem, illum indignum esse cognoscit, Metropolitanus, antequam ad hujusmodi Scrutinium veniatur, secretè studeat nuntiare, vel intimare. *C. un. b. t.* Si verò, ut persona privata sciat, esse indignum, privatim monere debet ipsum ordinandum, ne ad ordines accedat, vel ipsum ordinantem: quod si suam monitionem nihil profuturam speret, declinet pro ea vice officium præsentandi. Si hoc non possit, nec defectum possit probare, proferat verba, prout in formula; quia ipse respondet, non ut persona privata, secundum suam privatam scientiam, sed ut persona publica, secundum publicam scientiam, secundum quam verum est, illum esse, & haberi publicè dignum, quantumvis ipse, ut privatus indignum esse sciat. Ad similem monitionem tenentur alij, qui sciunt privatim aliquod ordinandi impedimentum. Ordinandus, qui solus novit suum impedimentum juris Ecclesiastici, non tenetur in Scrutinio se ipsum prodere juxta aliquos; sed contrarium est verius; *arg. C. 5. D. 81.* Si impedimentum manifestum non detegat, deponitur. *C. 55. D. 50.* seu potius prohibetur ipsi ordinis exercitium, quia inhabilis est. Ordinans ignotum sine Scrutinio, & de cujus habilitate non sufficienter constabat, arbitrariè puniunt. Si ordinem cum scientia impedimenti, ordinandi potestate privat. *C. 55. D. 50.* Qui facit se sine Scrutinio ordinari, vel furtive se ingerit, & committet ordinandis, suspendendus est ab exercitio ordinis furtive suscepti. *C. fin. D. 24.* donec Episcopus dispenderit.

TIT.

TIT. XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

224 **D**upliciter potest Episcopus renuntiare Episcopatu: aliquando enim renuntiat loco tantum: aliquando verò, & loco, & Dignitati, quod, & ordini renuntiare dicitur in *C. 1. b. t.* Loco tantum renuntiare censetur, qui tantum renuntiat Officio, Curæ, & administrationi Episcopatus, v. g. ob hostilitatem, vel aeris intemperiem, retento tamen Titulo, & Dignitate. Hinc est, quod cum Episcopus retineat Dignitatem, & ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, potest ordines conferre, etiam majores; indiget tamen licentia Episcopi, cum jam careat subditis. *L. 22. tit. 6. p. 1.* Qui enim tantum loco renuntiavit, Dignitate retenta, verè, & propriè Episcopus manet, etiam si subditis careat: cum sæpè Episcopi verè tales sine subditis inveniantur, v. g. si Episcopus metu hostium suam deserat Ecclesiam. *C. 42. 7. q. 1.* Et etiam Episcopi Titulares, qui Episcopi in partibus, & Hispaniæ: *Obispos de Anillo* nuncupantur, suntque promori ad Dioecesim ab Infidelibus, vel Turcis occupatam, & verè Episcopi sunt, quamvis subditis careant. Similiter ergo accidit in Episcopo, qui loco tantum renuntiavit.

225 Qui verò renuntiavit loco, & Dignitati, quia propter aliquod delictum depositionem timet, vel etiam impetrat dispensationem ex zelo ingrediendi Religionem: cum Cura, & administratione, simul Titulum, Dignitatem, & denominationem Episcopi dimittit, itaque exiit, tanquam si Episcopus non fuisset: ac proinde alius ejus loco subrogatur quoad locum, & Dignitatem. *C. 45. 7. q. 1.* potest tamen minores Ordines conferre, cum licentia Ordinarij sicut possunt Abbates, imò & quilibet simplex Sacerdos ex Pontificia delegatione. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 4. Gonz. in c. 1. b. t. n. 9.* non tamen potest majores Ordines, præcipue Sacerdotum conferre: nam solus Episcopus hos conferre valeat, nec ex delegatione Pontificis possunt conferri ab eo, qui non sit Episcopus. *D. Thom. in 4. D. 7. q. unic. art. 5. Barb. de Offic. Episc. alleg. 3.* si tamen defacto conferat, cum characterem ordinis retineat, valida uti-

Tom. I.

que erit ordinatio. Sicut itidem valida, hac ratione, est ordinatio facta ab Episcopo deposito, suspensio, excommunicato, hæretico, simoniaco, etiam degradato, vel consecrato ab Episcopo Hæretico, si substantialia ad consecrationem possuit. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 3. Gonz. in c. 2. b. t. n. 3.* quia licet non possit licitè exercere potestatem ordines conferendis; cum tamen characterem Ordinis Episcopalis retineat, valide tali utroque potestate. Ordinatus tamen ab eo non potest actum ordinis suscepti exercere: & hac ratione talis ordinatio irrita dicitur. *C. 1. 9. q. 1.* non quantum absolute invalida sit: sed solum quoad usum, & exercitium ordinis sic suscepti, quia ab ejus executione est suspensus ipse ordinatus. Ordinatio facta ab Episcopo excommunicato non servata forma, vel materia nullius roboris est, ac proinde est iteranda. *C. 2. c. 3. 9. q. 1. C. 24. c. 25. 1. q. 7.* non quia ab excommunicato facta est; nam hoc non obstante, valeret. *Arg. c. 51. c. 109. de Conf. D. 4.* sed quia materia, vel forma non fuit servata. Et tunc etiam à Catholico, & non excommunicato fieret, invalida similiter esset. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 7.* Hodie post *Extrav. Ad evitanda:* si quis accipiat ordines ab Episcopo excommunicato tolerato, non incurrit suspensionem, ac proinde pro tali casu non habet locum decisio *C. 2. b. t.* ut notat *Gonz. ibid. n. 8.*

226 Qui enim scienter, vel ex crassa ignorantia Ordines majores suscepit ab eo, qui loco, & Dignitati renuntiavit, quia sic ordines suscipiendo indignum se fecit, suspensus est ipso jure ab illorum usum, & solum potest R. Pontifex cum eo dispensare. *C. 1. b. t. l. 22. tit. 6. p. 1.* non tamen incurrit irregularitatem, ut aliqui credunt, sed tantum suspensionem. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 48. n. 1. Gonz. in c. 1. b. t. n. 3.* Qui verò ignorantèr, & inculpabiliter ab eo ordines suscepit, etiam suspensus est ab ordinibus susceptis potest tamen cum eo Episcopus dispensare. *C. 1. b. t. l. 22. tit. 6. p. 1.* nam licet in utroque casu suspensio incurritur: quoad dispensationem tamen patens est discernere. Quamvis enim ignorantèr ordinatus culpa careat, suspensionem incurrit, non in ratione poenæ: sed ob inhabilitatem ordinantis; quia Episcopus nequit dare executionem ordinis, quia ipse caret; *Arg. c. 79. de Reg. Jur. in 6. C. 24. 1. q. 7.* Similiter, qui scienter ordinatus est ab Episcopo excommunicato, vel etiam per ignorantiam crassam, indiget Pontificia dis-

L. 2

pen-

penatione: si vero ignorantè fuit ordinatus indiget tantum Episcopi dispensatione. *C. su. b. t. ubi dicitur*, quod Episcopus proprius potest dispensare cum ordinatis ignorantè ab Episcopo excommunicato: hoc est, si ordinavit Episcopus originis, cum esse excommunicatus, potest dispensare Episcopus domicilij, vel beneficij. *Gonz. ibid. n. 5.* vel successor ordinantis, imò, & ipsum ordinantem potest dispensare, postquam sit ab excommunicatione absolutus, tenet Abbas, quod rectius alij negant: ne in proprio defectu dispensare videatur, maxime cum facile ab alijs dispensari possit.

227 Qui renuntiavit Episcopatu, non potest uti Pontificalibus insignibus. Et si ex Monacho factus fuerat Episcopus, debet ad claustrum, & regularem observationem redire. Si post renuntiationem est Religione ingreſſus poenitentia causa, quia ob defectum commilium Episcopatum detulit, non potest ulterius ad Episcopatum redire. *C. 44. c. 45. 7. 9. 1.* lectus est, si renuntiavit Episcopatu propter perfectionem, infirmitatem, defectum scientiæ, simoniam commiliam ipso ignorante, vel similem causam: nam tunc potest a religione ad Episcopatum ascendere. *C. 7. de Renunt. Gonz. in c. 1. b. t. n. 7.*

TIT. XIV.

De Etate, & Qualitate, & Ordine Praeficiendorum.

228 Praeficiendi in presenti illi dicuntur, qui sunt promovendi ad Dignitates, & beneficia Ecclesiastica: agiturque in hoc titulo de etate, qualitate, & ordine, quibus debent esse praediti. Ad quodcumque ergo beneficium Ecclesiasticum obtinendum (excepto Summo Pontificatu; *arg. c. 6. de Elect.*) est necessaria prima tonsura, per quam fit Clericus, ipsa initiatus, capaxque beneficij Ecclesiastici, cuius est incapax Laicus. *C. 2. de Instit. C. 6. de Transact.* nec sufficit, quod beneficium impetrans mox sit eam recepturus. Olim non dabatur prima tonsura sine beneficio, secus hodie, & ad illud obtinendum sufficiebat habere septennium. *C. 1. c. 2. D. 70.* Hodie ad quodcumque beneficium, etiam simplex adquirendum, etiam ab habente tonsuram, sive per collationem, sive per praesentationem, sive per aliam quamcumque

provisionem, nisi aliud in fundatione exprimitur. *Garc. de Benef. p. 7. c. 2. 4. n. 9. C. 10.* requiritur annus 14. saltem inchoatus. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6. l. 3. tit. 16. p. 1.* ubi etiam dicitur, quod poterit majoribus septennio dari beneficium, si decreto supplicat aetatem. *Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1.* dum non habeat regimen Ecclesiae. *C. 3. b. t. ibi: Indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos.* Idem, quod de beneficio dicendum est de pensionè Ecclesiastica. *Barboſ. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 78.* ad pensiones faculares nulla certa aetas requiritur.

229 Ad Summum Pontificatum nulla aetas praefinita reperitur in iure. *Arg. C. 6. de Elect. c. 3. eod. in 6.* nec unquam electio Pontificis ob defectum aetatis fuit impugnata, licet alicui in etate immatura facti fuerint R. Pontifices: expedit tamen, quod non nisi post 30. annum eligantur. *Arg. C. 7. de Elect.* Ad Episcopatum 30. annus completus est necessarius. *C. 7. de Elect.* haec eadem aetas ad Cardinalatum requirebatur a *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* sed hodie ad Cardinalatum requiritur aetas, & ordo ad ipsum gradum necessarius. Inter Cardinales enim alij sunt Episcopi, & tunc requiritur 30. annus completus: alij sunt Presbyteri, & tunc requiritur 25. annus, saltem inceptus: alij denique sunt Diaconi, & tunc sufficit 22. annos habere. *Ex Const. Sixti V. Postquam Ann. 1586.* Ad alias Dignitates Ecclesiasticas, & beneficia, quibus iurisdictione in foro externo, vel cura animarum est annexa, qualem habent Abbates, Praepositi, Archiepiscopi, Archidiaconi, Vicarij Generales Episcoporum requiritur 25. annus inchoatus. *C. 7. §. Inferiore. de Election. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Et insuper ordo Presbyteratus. *C. 1. b. t. C. 14. de Elect. in 6.* assumendus intra annum a die collationis beneficij. *C. 2. b. t. quem ille culpabiliter differat electus recipere, ipso jure privatur jure quiescente per electionem, vel collationem. C. 1. b. t. C. 14. de Elect. in 6.* Ad Dignitates, & personatus non habentes curam animarum, saltem in Cathedralibus debent assumi Clerici idonei, licet non sint Presbyteri, non minores 22. annis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Et sane, hoc *Trid. Decretum* cum de Cathedralibus loquitur, non debet extendi ad Collegiatis: ac proinde potest quis assumi ad Dignitatem in aliqua Collegiata, quin 22. annos habeat.

Et

de Etate, & qualitate, & Ordine Praeficiendorum. 85

Et sic jam declaratum tenet cum alijs *Barboſ. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 67.* contra *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4.* Sufficere 22. annum esse inchoatum est receptum in Rota teste, *Barboſ. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 66.* Complectum requiri ex declaratione Cardinalium, testatur *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 70.* Olim Episcopus dispensabatur cum majore 20. annis ad has Dignitates, & personatus, non curatos. *C. un. b. t. in 6.* Sed hodie dispensatio in etate ad quodcumque beneficium requisita soli R. Pontifici competit: quia ipse solus potest in Jure Communi Canonico dispensare. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 57.*

230 Ad Canonicatus, Praebendas, & Portiones Cathedralium requiritur saltem 21. annus inceptus, nisi aliud consuetudine, vel statuto praescriptum sit, quia intra annum debet illum Ordinem Sacram suscipere, quem praebenda requirit. Et in Cathedralibus omnes Canonicatus Ordinem Sacrum habent annexum: & quidem, ita, ut saltem dimidia pars sint Presbyteri, ceteri vero debent Diaconi, vel Subdiaconi esse. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Canonici vero Collegiarum non debent esse initiati aliquo Ordine Sacro. *Barboſ. in Cl. 2. b. t. Mach. in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 5.* ac proinde sufficit, quod habeant 14. annum inchoatum. *Arg. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6.* Poenitentiaris Ecclesiae Cathedralis debet habere 40. annos, saltem inceptos, ut dicunt *Azor. & alij* contra *Garc. de Benef. p. 7. n. 35.* vel alias debet esse, qui postior pro loci qualitate reperitur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* Inquisitores haereticæ privatis de Jure Communi debent habere 40. annum, saltem inceptum. *Cl. 2. de Haeretic. quæ Constitutio non ubique servatur, ut in nostra Hispania videmus, forte ob privilegium singulare, de quo *Simanc. de Cathol. Inst. tit. 34. ex n. 12. Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 8.* Commissarij Inquisitionis ferè eadem qualitates, ac Inquisitores debent habere: sed quoad aetatem sufficit si 30. annos habeant, licet aliqui 40. requirant. Vid. *Machad. doc. 12.* Qualificatores Inquisitionis 45. annos debent habere, sed in hoc dispensat Inquisitor Generalis *Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 13. & alij com.**

231 Collatio beneficij facta persona non habenti aetatem a jure requisitam, est ipso jure nulla. *C. 14. de Elect. in 6.* etiam in conscientia: & etiam una hora tantum delin. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4.*

ex n. 82. Et etiam per ignorantiam, & bona fide susceptum sit beneficium, imò etiam si ita promotus, vel per electionem, vel praesentationem, vel impetrationem habili jam inveniat tempore, quò institutus est: quia concessio, utpote irrita ab initio tractu temporis non convalescit. *C. 18. de Reg. Jur. in 6. l. 29. ff. eod.* Licet olim ad beneficium curatum Subdiaconatus requireretur. *C. 5. b. t.* Hodie sufficit Ordines minores habere. *C. 8. de Prab. in 6. C. fin. de Instit. eod.* imò & prima tonsura sufficit. *Arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Eligendus in Episcopum, Archiepiscopum, vel Patriarcham, saltem sex mensibus ante electionem debet esse Subdiaconus. *C. 9. b. t. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* ita enim verificatur, quod sit in Sacris constitutus, etiam si Presbyter non sit. *Greg. XIV. in Const. Onus Apostolicae. 15. Maj. ann. 1591.* quam assert *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 77.* debetque ceteros ordines gradatim, usque ad Episcopatum recipere. *Arg. c. un. de Cleric. per salt. promot.* Similiter debet gradatim ascendere, si aliquis Laicus Divina inspiratione in Episcopum possit, ut *D. Nicolaus, D. Ambrosius, & alij. C. 8. c. 10. D. 61. Gonz. in c. 9. b. t. ex n. 11.* Beneficium simplex non obligat Beneficium ordinem sacerdotij suscipere, nisi in fundatione dicatur, ut sit Sacerdos, vel quod ipse per se ipsum Missas celebret. Si vero solum dicatur, quod Capellanus Missas celebret, vel divinis Officiis interserviat, potest per substitutum hujusmodi oneribus satisfacere, nec vi talis beneficij tenetur ordinem sacerdotij suscipere. In Capitulo Ecclesiae Cathedralis ille, qui saltem non est Subdiaconus non habet votum, seu vocem activam: idem est in Collegiata. Similiter habens beneficium, cui annexus est ordo, si impedimento eorum, non promovetur intra annum ad illum; non habet vocem in Capitulo, donec fuerit ordinatus; & interim perdit dimidiam partem distributionis. *Cl. 2. b. t.* Talis vero Canonicus, etsi in minoribus sit constitutus habet stamm; id est, sedem in Choro. Et si per turnum ad ipsum, ut hebdomadarium, v. g. spectet collatio beneficij potest illud conferre, & si cum ipso dispensetur, ut ante legitimam aetatem in Subdiaconum ordinetur, habet vocem in Capitulo.

232 *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* hortatur, ut in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus Dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatum conferatur

tur

tur Magistris, vel Doctoribus, vel Licentiatibus in Theologia, vel Jure Canonico. Sed hoc solum est consilium: ac proinde non obligat. Generaliter tamen in unoquoque requiritur scientia necessaria ad suum munus rite obeundum. C. 7. §. *Infiriora*, de *Elect.* collatioque facta penitus illiterato est ipso jure nulla. Si vero solum caret scientia à jure requisita, erit irritanda, tanquam contra Sacros Canones facta. C. 17. c. 22. de *Elect.* quia literis carens, sacris non potest esse aptus officij. C. 1. D. 36. Et cum teste Apostolo 1. ad *Tim.* 3. v. 2. oporteat, Episcopum esse Doctorem; est necessarium, quod tam Theologiæ, quam Sacrorum Canonum eam habeat peritiam, quam ejus requirit Officium. C. 6. D. 38. ut alios in sana doctrina cohortari possit, & eos, qui contradicunt arguere valeat. *Paul.* ad *Tir.* 1. v. 9. eadem peritia in Cardinalibus requiritur, ut S. Pontificem in universali Ecclesia regenda suo consilio adjuvent. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* Hinc Episcopus debet esse Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, aut alias ad docendos alios idoneus, testimonio alicujus Academiæ. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* idem requiritur in Archidiacono, si habeat jurisdictionem in foro externo. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* idem in Scholastico. *Trid. sess. 23. de Ref. c. 18.* idem in Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* idem est in Vicario Capituli Sedevacante. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 16.* ibi: *Capitulum Sedevacante Vicarium constituere tenetur, qui saltem sit Doctor in Jure Canonico, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit ad Metropolitanam deputatio hujusmodi devolvatur.* Inquirentes debent esse sacra doctrina fidei eminenter eruditi ex *Bul. Urb. IV.* in *Hispania* semper Jurisperiti ad hoc ministerium eliguntur. Qualificatores solum debent esse illi, qui per 12. an. Theologiam docuerunt; sed in hoc frequenter dispensatur. *Mach. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. dor. 13.* Quicumque jurisdictionem in foro externo habent, debent utriusque juris scientiam habere, quia non suo sensu, sed secundum juris auctoritatem, & decisiones debent judicare. C. 1. de *Constit. L. 1. Taur.* Parochi debent scire ea, quæ ad Sacramentorum administrationem rite obeundam, & Populum instruendum in rebus necessariis ad salutem pertinent. C. 5. D. 38. c. 14. b. r. L. 2. tit. 16. p. 1. Nam si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in focam cadunt. *Matth. 15. v. 14.* In promo-

vendo ad beneficium præter alias qualitates de Jure Communi requiritur morum probitas, & vitæ honestas adeo, ut collatio beneficii curati facta infami; sive infamia juris, sive facti, vel etiam criminosa depositione digno, est ipso jure nulla. C. 7. §. *Infiriora*, de *Elect.* si beneficium sit simplex, non irrita, sed irritanda erit collatio. C. 11. de *Exec. Prælat.* Irregularitas, excommunicatio, suspensio, interdictum personale (etiam si his censuris irreti sint tolerati, cum *Extrav. Mart. V. Ad evitanda*, illis nullum favorem intendat) reddunt nullam collationem cujuscumque beneficii, etiam simplicis. C. 7. de *Cler. excomm.* C. 8. h. t. In fundatione, statuto, vel ex consuetudine aliquando requiruntur alia qualitates, v. g. nobilitas, gradus, vel quod non conferantur beneficia alienigenis, vel alterius familiæ, quæ admissis sunt servanda. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 5.*

233 Beneficia, sive Sacralia, sive Regularia curam animarum habentia, vel in externo, vel in interno foro debent sub gravi conferri non solum digno, C. 7. §. *fin. de Elect.* *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 3.* id est, nulla qualitate ex requisitis tam de Jure Communi, quam statuto, vel fundatione carentibus: sed etiam dignioribus. C. 15. 8. q. 1. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* & *Cap. 18.* & constat ex propositione 47. inter damnatas ab Innoc. XI. tales sunt, qui non solum habent qualitates requisitas, sed eas in quodam eminentiori gradu habent. Dignitas ergo alicujus persona potest attendi dupliciter: uno modo simpliciter, & secundum se, & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratia donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem, vel propter aliquid hujusmodi: & quia dispensationes spiritualium principalis ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud. 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Ideo quandoque absque acceptatione personarum in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur: sicut etiam, & Deus gratias gratis datas, quandoque concedit minus bonis.* D. *Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* Collatio, vel electio de digno facta extra concursum, omnino digniori, est valida, & firma: quia si reicendibilis esset pluribus litibus via aperiretur. D. *Thom. 2. 2. q. 63. art.*

art. 2. ad 3. Imò etiam si Electores jurassent digniorem eligere, adhuc electio digni, prætermisso digniori, valeret, etiam si ipsi perjurium committant: nam juramentum non immutat Juris Communis dispositionem. C. 25. de *jur. jur. Castropol. tr. 13. D. 2. p. 11.* §. 3. n. 1. Si vero in concursu facta fuit electio, vel collatio ipso jure est irrita, ut colligitur ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* & *Bull. S. Pij V. 15. Kal. April. An. 1566.* Nam apponitur Decretum irritans provisionem factam contra normam præscriptam, quæ præcipue consistit in electione dignioris. *Castropol. tr. 13. D. 2. p. 11.* §. 3. n. 3. contra *Gars. de Benef. p. 9. cap. 2. à n. 235. Lacr. L. 4. n. 627* qui judicat probabilis dicere, talem provisionem non esse ipso jure irritam, sed esse irritandam. *Vid. ex n. 579.*

234 Circa beneficia simplicia hanc obligationem negat Garcia: illam licet non tanto rigore, ac in curatis admittit alij cum D. *Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* Et ita deducitur ex C. *fin. de Offic. Custod. C. un. Ut beneficia Eccles. ubi loquendo de beneficio non Curato ait Innoc. III. debuit Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Et ideo probabilis, dicit *Lacroix l. 4. n. 588.* videtur, cum peccare mortaliter, qui pro beneficio simplici præfert dignum digniori. Quid dicendum de Prælatorum consanguineis explicat D. *Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1.* ibi: *Circa consanguineos Prælati distinguendum est: quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune: & sic, si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptationis in dispensatione spiritualium, quorum Prælati Ecclesiastici non est Dominus, ut possit ea dare prohibito, sed dispensator, secundum illud. 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut Ministrus Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

TIT. XV.

De Sacra Unctione.

235 AGIT in presenti Innoc. III. de variis Sacris Unctionibus: duasque Unctionis species esse dicit: alia enim est exterior, quæ materialis est, & visibilis: alia interior, quæ spiritualis, & invisibilis est. Exteriori inungitur corpus, interiori invisibiliter inangitur cor. Unctio exterior est interioris signum. Sacra ergo Unctio, de qua sæpe in jure fit

mentio, nihil aliud est, quam delibutio per Oleum materiale, & benedictio ab Episcopo, facta juxta Ritum Ecclesiæ. Hoc Oleum, quod in Sacris Unctionibus adhibetur, debet esse olivarium, nam hinc veritas, & proprius, quam alijs, nomen Olei convenit. D. *Thom. in 3. p. q. 72. art. 2. ad 3.* Hoc quidem Oleum aliud est balsamo, cujuscumque loci sit, admixtum: (Græci alia plura aromata ei admiscebant) & dicitur *Christina Græci: Latine: Unguentum.* L. 11. tit. 4. p. 1. ibi: *Est Christina base de sacer de Olio, & de Balsamo.* Hoc Chrisma adhibetur in baptismo, sed postquam est substantialiter coactum. Etiam adhibetur in confirmatione, & consecratione Papæ, & Episcopi, & etiam quando consecrantur Ecclesiæ, altaria, & calices. Alium Oleum est simplex, & sine aliqua admixtione: & est in duplici differentia. Aliud dicitur *Catechumenorum*, aliud *Infirmorum.* Oleum Catechumenorum adhibetur, ad inungendos baptizandos, & Catechumenos ante collationem substantialem baptismi: & etiam in ordinatione Sacerdotis, in Unctione Imperatorum, & Regum. Oleum infirmorum solum in Extrema Unctione adhibetur, quæ omnia constant. Ex *G. un. h. t. L. 11. usque ad L. 16. tit. 4. p. 1.* *Barb. de Offic. Episc. alleg. 31.* Quamvis Oleum, & Chrisma olim poterant omni tempore confici. C. 124. de *Consi. D. 4.* nunc tamen debet novum confici singulis annis in Cœna Domini, & vetus in Sanctis Ecclesijs esse cremandum, ita à SS. Apostolis, & successoribus eorum acceptum, & vobis tenenda mandamus, ut ait Fabianus Papa in C. 18. de *Consi. D. 3.* Urgente necessitate potest cum Oleo veteri fieri unctio, ut sæpe in his Insulis accidit, donec novum afferatur. *Barb. de Offic. Paroch. cap. 22. n. 25.* Si Oleum consecratum non fuerit, potest non consecratum ipsi admitti. C. 3. de *Consi. Eccles.* Sed quantitas non consecrata debet esse minor, ut tota evadat consecrata.

236 Baptizandus bis inungitur à Sacerdote Oleo Catechumenorum. 1. in pectore, deinde inter scapulas, & semel post baptismum: Et quidem olim per totum corpus ungebatur. Catechumenus, juxta *Dionys. Cyril.* & alios apud *Gonzal. in C. un. b. r. n. 22.* Hodie tantum in vertice Sacro Chrismate ungitur. C. *un. S. Quia, h. t. ibi:* *In pectore namque baptizandus inungitur, ut per Spiritum Sancti donum abiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam: quia iustus ex fide vivit.*